

Q. N.
411
22.

X 1862218

II i
168

DISSERTATIUNCULA
De

HIEROSOLYMIS, JUDÆO-
RUM QVONDAM METROPOLI,
AN PROFANIS GENTILIUM SCRIPTORI-
BUS COGNITA FUERINT, PRÆCIPUE QVOD
ATTINET EXCIDIUM.

Quã
PLURIMUM VENERANDOS
DNN.

INSPECTORES,

Ut &
VIROS ERUDITISSIMOS AC
PRÆSTANTISSIMOS OMNEIS

M. JOHANN. FRIDERICUS Köber /
ILLUSTRIS RUTHENEI RECTOR.

Ad auscultandum benevolè
DISCEPTATIONEM,

De
GYNÆCOCRATIA IN
REPUBLICA

INSTITUENDAM PUBLICÈ
Submissè, & per amanter
INVITAT.



GERÆ, TYPIS GEORGI HEINRICI MÜLLERI.





Quamvis de omni per orbem universum urbe,
vel florentissimâ, quemadmodum & de vicis & pa-
gis vilissimis, oraculo verius sit, quod Stratonicum
Citharœdum dixisse ferunt, (a) valere nimirum de
omnibus ac singulis, quod Mœonides aliquando
cecinit vates :

ὅτι περὶ Φύλλων γενεὴ τῶν δὲ καὶ αἰδῶν, (b)

vel, ut Pachymerius (c) de fato urbium dixit, τὸ εἰμαρμένον ὡσπερ
ἐμψύχοις, ἔτω καὶ πόλεσιν ἀφικτον; quod tot oppidorum cadave-
ra clamant: certum tamen & experienciâ comprobatum est jamprî-
dem, quasdam eâ fuisse nominis celebritate & laudum magnitudi-
ne insignes, ut, etsi periere olim funditus, non planè perierint ta-
men. Vivit in memoriis veterum Carthago, æmula quondam
Imperii Romani, etsi deleta tertio bello Punico & miserè finita. (d)
Vivit in mentibus hominum Corinthus, Achajæ olim caput, Græciæ de-
cus, inter duo maria, Ionium & Ægeum quasi spectaculo exposita, etsi à Mum-
mio everfa. (e) Vivit Numantia, Hispaniæ quondam ocellus, et-
si post duo illa clarissima urbium incendia, eodem propè tempore à
Scipione devastata. (f) Vivit, illis omnibus & vetustior & carmi-
nibus Poëtarum celebratior Troja, Phrygiæ quondam caput, quam-
vis rudus in orbe jam olim facta sit & vix tenuia sui vestigia reli-
quisse commemoretur. (g) Non interierunt planè illæ omnium doctrina-
rum inventrices Athenæ, unde encomio Ciceronis, (h) humanitas, doctrina,
religio, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur; quam-
quam vicus hodie dumtaxat ex tantâ urbe restet, tetrâ impietate &
pro-

(a) Vid. Grut. Thes. crit. t. 3. p. 253. (b) II. Z. G. 146. (c) Hist. Byzant.
2, 27. Vid. Justin. cum Varus p. 295. (d) Vid. Flor. II, 15. (e) id. II, 16.
(f) id. II, 18. (g) Vid. ex Bellonio Hoffm. lex. univ. f. 494. (h) l. 1. de or-
at. & or. pro Flacc.

1353

profundâ barbarie mersus. (i) Non intercidit planè, etsi interruda
dera vix parvum extat oppidulum, (k) Lacedæmon, severa illa
qvondam magistra patientiæ & laborum, qvia promerita ejus laus
memoriâ seculorum omnium viget. Sed non est mihi propositum,
qvicquid hujus generis afferri potest, nunc exeqvi. Latisimum
qvippe campum ingrederemur, unde tam citò pedem referre non
liceret, semel illatum, cùm innumera dicenda forent. Quocirca
nunc sedet animo ejus modò urbis instaurare memoriam, de cujus
variis nominibus distichon extat hujus tenoris:

*Solyma, Lusa, Bethel, Jerosolyma, Jebus, Elia,
Urbs sacra, Jerusalem dicitur atque Salem. (l)*

Quantumvis enim hæc Orientis regina jampridem, judicio DEI
justissimò, tota sedit in cineres, miserabili excidio; laus tamen illi-
us & memoria oblivionis cineribus obrui aut aboleri nunquam po-
test. Ideoque in præsentem, num quæ illius apud τὰς ἑξῶ extet men-
tio, de halosi in primis commemorabili, quam subiit, indagaturi
sumus. Non ignotam ergò urbem hanc fuisse Gentilibus; nolu-
mus ex eò arbitrari, quod medium in orbe terrarum locum oc-
cupavit, unde nullo prope negotio tantæ urbis notitia diffundi in
omnium notitiam ac disseminari potuerit. Nam & incertum est,
quod supponitur, ut jamdudum ab eruditissimis Viris ostensum
fuit, (m) & si certum foret, non liceret inde colligere famæ loci εἰς
παῖσιν τὴν οἰκισμένην propalationem, & nominis celebritatem. Illud
verò certius multò videtur esse, quod ex famosis illis quatuor Mun-
di imperiis nullum sit, in quò non extiterint Imperatores, quibus
hæc Judæorum metropolis incognita planè fuerit. Nota sanè fuit
Nebucadnezi, Monarchæ Babylonio, à quo primùm deleta fuit
ac devastata, (n) à quò deinde ad saniolem traductò mentem, co-
honestata iterum eò præcipuè edictò, quod verum *Israëlis Deum* o-
mni populo, nationi & lingua notum fecit. (o) Nota deinde & fuit Per-
sarum Regi maximo Cyro, qui sibi mandatum divinitus non diffite-
tur restorationem templi Hierosolymitani: (p) à quâ re nec alieni
deinde fuerunt Darius Hystaspis, (q) & Artaxerxes Longimanus,

A 2

(r) He-

(i) ex Vadian. Hoffm. f. 213. (k) id. f. 98. (l) id. f. 771. (m) & id. B. Mit-
ternacht. noster Dissert. VI. de Curiosit. p. 117. seqq. (n) II. Reg. XXV.
(o) & id. Daniel. III, 29. (p) Esr. I, 2. seqq. (q) l. c. VI, 1.

(r) Heroës præcipuô quodam favore in gentem Judæam inclyti. Innotuit etiam hæc Dei civitas Alexandro, magno illi Græcæ Monarchiæ conditori; quem Hierosolymis sacra fecisse Josephus, scriptor fide non indignus, autor est. (s) Innotuit tandem & Romanis, rerum Dominis, ut mox dilucidius patebit. Unde non desunt, qui assertum eunt, primis quatuor monarchiarum conditoribus non defuisse resplendentiam veritatis; prorsus, ut DEUS O. M. ceteris gentibus præesse voluerit eum, qui cultus sui non prorsus esset oblitus. (t) Quod etsi de Nebucadnezare, (qui quod primus fuerit primæ monarchiæ autor, sunt, qui putant) Cyro & Alexandro M. facile concedi potest; id tamen quâ ratione in Julio Cæsare, monarchiæ quartæ conditore, locum inveniat, nondum liquet, nisi quis forte, hõc insuper habitõ, Octavium Augustum tanto culmine velit digniorem esse, quem nativitatis Christi non planè ignarum extitisse quidam arbitrantur; quod ipsum tamen quàm infirmo nitatur fundamento, alibi ostensum fuit. Cæterum resplendentiam quandam veritatis illis largiamur; nequæ enim certum adeò & planè manifestum est, eos omnes salutari & salvificâ veritatis cœlestis cognitione exactè imbutos fuisse, nisi si Theodoreto credendum sit, quæ Cyrus, inquit, (u) à Daniele, quò familiariter urebatur, Theologia mysteria est edoctus; & Cyrillo, qui Cyrum Esaie vaticinium legisse, memoret, (x) ejusque lectione adeò captum fuisse, ut gloriæ divinæ præconium in urbibus & regionibus suis promulgârit, confessusq; palàm fuerit, illum solum esse Deum, univerforumque Dominum, qui à Judæis coleretur. In quâ piâ opinione ut meritò nunc acquiescimus; ita nunc porrò indagamus, in quantum Romanis scriptoribus Solymorum urbs nota fuerit. Hic verò in testimonium se offert illicò disertissimus Romuli nepotum, Cicero, qui primò laudat (y) L. Flaccum, pro quò dicit, quod peculiari sanxerit edicto, ne quotannis ex Italiâ & ex omnibus provinciis Hierosolymam exportaretur, ut non insolens hæctenus fuerat, aurum: deinde & pudori Cn. Pompeji tribuit, (z) quod, captis Hierosolymis, victor ex illò fanò, nihil auri attigerit, ne videlicet, (quod statim addi ur) in tam suspiciosâ ac maledicâ civitate (ô egregiam laudem laudatissi-

(r) l. c. VII. 1. & Nehem. II, 7. 8. (s) lib. XI, 8. cit. ita Theod. Thummio, Synopsi Art. fid. p. 247. (t) ita loquitur & sentit C. A. Ruperti obser. in Synop. Bessoldi min. p. 184. add. Dorsch, Synops. Theol. Zach. p. 39. & Franz. de interp. p. 175. (u) Serm. 1. de fide. (x) ap. Rupert. l. c. (y) orat. XXIV. p. 512. Ad. ed. Gothofr. (z) ib. B.

datissima urbis!) locum sermoni obtreclatorum relinqueret, Tandem
 verò nigrum loliginis succum evomit in urbem & religionem, quan-
 do, fervore gentili ardens, tatur: (aa) *Sua cuique civitati religio est, no-
 stra nobis.* Rectè scilicet, si hâc viâ itur ad astra! *Stantibus Hierosolymis,
 pacatisque Judæis, tamen* (tùm emendatum vult planiore fortassis sensu
 Fr. Sylvius (bb) *istorum religio sacrorum à splendore hujus Imperii, gravi-
 tate nominis vestri, majorum institutis abhorrebat: nunc verò hõc magis, quod
 illa gens, quid de imperio nostro sentiret, ostendit armis: quàm chara Diis im-
 mortalibus esset, docuit, quod est victa, quod elocata, quod servata.* Infultat
 hîc Cicero ærumnis Judæorum, tum à Pompejo devictorum, eò
 videlicet more, quò soliti frequenter sunt miseriam exprobrare Ec-
 clesie & piis, magnâ calamitatum mole obrutis, qui alieni à fide
 Christianâ sunt; rati, non posse DEO curæ aut cordi esse, quos ad-
 versa exerceant fata mundique odio ac ludibriis, quin & suppliciis
 horrendis exponant. Quàm verò erroneum hoc sit, jam olim à præ-
 stantissimis Ecclesie Doctoribus, Augustino (cc) præcipuè & Salvia-
 no (dd) ostensum ac demonstratum fuit, ut non sit, cur in eo refellen-
 do tempus terere velimus. Cæterum dubium non est, quin digitum
 intendat Arpinas ad bellum Mithridaticum, à Cn. Pompejo feliciter
 successu gestum, quod tanquam commune quoddam incendium,
 longè se & latè sparsit & ipsam quoque Judæam vicinam miserè in-
 volvit. Audiatur hac de re tanquam non malæ fidei testis floren-
 tissimus Historicorum, qui ita: (ee) *Hierosolyma defendere tentavere
 Judæi; verum hæc quoque intravit Pompejus, & quæ ibi sequuntur, aliò
 locò excutienda.* De ipsâ Urbis occupatione ita fortè narrant Stra-
 bo. (ff) & Appianus, (gg) non proletarii: *Ea urbs fossam habebat in
 lapide excisam, quadraginta pedes altam, CCL. latam.* Pompejus observatò
 jejunii die, quo ab omni opere Judæi abstinerent, impleta fossâ, & admotis scalis
 in urbem ingressus, mœnia everti jussit, & Judæorum regem Aristobulum cepit,
 qui à Romanis desciverat. Quæ ultima his concepta verbis leguntur
 apud jam laudatum Florum: (hh) *Dissidentibus de regno fratribus arbiter
 factus, regnare jussit Hircanum, Aristobulo, quia renuebat eam rem, catenas dedit.*
 Atque hinc dubio procul est, quod Pompejus ille Tullio Hierosolymæ-
 nus, joco an seriò, non liquet, nuncupetur. (ii) Sed hæc vetustio-
 ra paul-

(aa) l. c. D. (bb) Comment. h. l. f. 991. (cc) in Libris de C. D. (dd) in libro
 de Gubern. Dei. (ee) Flor. IV, 5. (ff) l. 16. (gg) in Mithrid. sic citat
 Sylv. in Comment. in Cic. orat. l. c. (hh) l. c. (ii) lib. II. ad Attic. ep. 10.

ra paullò sunt, & ante Christum gesta: nunc ad excidium ultimum Urbis, de quò Propheta maximus, Christus prædixerat, veniendum est. Ubi, *ὡς ἐν παροῦσιν*, silentio nefas videtur præteriri encomium, quod, veritatis vi incitatus, Urbi dedit candidus ille naturæ Historicus, C. Plinius Secundus. Id verò ita habet: (kk) *Hierosolyma, longè clarissima urbium Orientis, non Judææ modò. Sed nec tacenda est egregia etymologia Hierosolymorum, quam acutam admodum tradidisse Tacitum legimus. Autumat enim, Solymos, carminibus Homeri celebratam gentem, conditæ urbi Hierosolymam nomen è suo fecisse.* (ll) Satius fuisset, si nominis sui memor, etymon ineptum & planè falsum reticuisset. Loca Homeri de Solymis, nequaquam de Urbe, nec de gente sancta accipienda sunt, sed vel de Lyciis, vel Pisidis, vel aliis, nec enim omnium de hac re eadem sententia est (mm) intelligenda. Et quamvis Josephus quoque Solymos in carmine antiquo chærii (nn) de Judæis accipiat: illum tamen meritò refellit doctissimus Petrus Cunæus, (oo) & ad Pisidas pertinere, quæ de Solymis montibus apud Chærilum habentur, præclarè, hoc est, suo more ostendit. Non juvat alias itidem futiles hujus nominis notationes adducere, aut in adducendâ genuinâ operam sumere; cùm hæc ubivis in Lexicis Ebræis occurrat, illæ verò à magno literatore, Bœclero, jam elusæ solerter & everse sint. (pp) Ad institutum verò nunc nostrum facit, si de fatali eaque ultimâ Hierosolymæ *πανοληθρία* addamus, quæ apud Scriptores gentilium occurrunt. Ex Josephò ut id fiat, opus esse non videtur, quia mirum non est, eum prolixè eandem commemorare, qui ipse & Judæus fuit, & obsidioni in castris Titi interfuit. (qq) Brevius rem exponit Eutropius, (si is paganus est) quando ait, (rr) *sub Vespasiano Judæam Romano accessisse imperio, & Hierosolyma, quæ fuit urbs clarissima Palestine, de quâ cum Filio triumphavit. Et de Tito, illius Filio refert: (ss) in oppugnatione Hierosolymorum sub patre militans, XII. propugnatores XII sagittarum ictibus confixit. Eadem habet Svetonius, (tt) nisi quod VII. dumtaxat propugnatores & sagittas numerat, quem ideò, Casaubonus, magnum seculi quondam*

(kk) *Hist. nat. V, 14.* (ll) *l. V. Hist. c. 1. p. m. 590.* (mm) *vid. Bæcl. annot. ad h. l. p. m. 168.* (nn) *vid. l. 1. contr. Appion.* (oo) *de Rep. Ebr. II, 18.* (pp) *vid. l. c. p. 169. & 192.* (qq) *vid. huc Antiq. l. 18. c. 1. & l. 19. extr. & l. 20. init.* (rr) *l. 7. c. 13. §. 6. & 8. ed. Cl. Cellarii nostri.* (ss) *l. c. c. 14. §. 4.* (tt) *in Tit. & sp. c. 5.*

dam nostri decus, ex illô, quàm benè nescio, correxit. (uu) Simili
 brevitate se expedit Polyhistor C. Julii Solini, cum ait: (xx) *Judææ*
caput fuit Hierosolyma, sed excisa est. Prolixius autem excidii histori-
 am persequitur Dion Cassius, cujus verba, studio brevitatis ducti, re-
 citare non possumus. (yy) Et quamquam is sincerè videtur ex le-
 ge Historicâ egisse; tamen nunc placet, unicum audire Tacitum,
 ut *famosæ urbis* (sic enim loquitur) *supremum tradat diem.* Sic verò hic:
 (zz) *Tres Duces, totidem exercitus. Extrema & latissima mœnium Simon,*
mediam urbem, Joannes, — templum Eleazarus firmaverat. — Sed prælia,
dolus, incendia inter ipsos, & magna vis frumenti ambusta. Mox Joannes
missis per speciem sacrificandi, qui Eleazarum manumque ejus obruncarent,
templo positur. Ita in duas factiones civitas discessit, donec propinquantibus
Rom. bellum externum concordiam pareret. Evenerant prodigia, quæ neque
hostiis, neque votis piare fas habet gens, superstitioni obnoxia, religionibus ad-
versa. Visa per cælum concurrere acies, rutilantia arma, & subito nubium i-
gne collucere templum. Expansa repente delubri fores, & audita major huma-
vâ vox: excedere Deos. Simul ingens motus excedentium. Quæ pauci in me-
rum trahebant: pluribus persuasio inerat, antiquis sacerdotum literis contineri,
eo ipso tempore fore, ut valesceret Oriens, profectique Judæa rerum potirentur. —
Sed vulgus more humane cupidinis, sibi tantam fatorum magnitudinem inter-
pretati, ne adversis quidem ad vera mutabantur. Multitudinem obsessorum
omnis ætatis, virilis & muliebris sexûs, sexcenta millia fuisse accepimus. Ar-
ma cunctis, qui ferre possent, & plures, quàm pro numero, audebant. Ob-
stinatis viris foeminisque par, ac si transferre sedes cogerentur, major vitæ me-
tus, quàm mortis. Hanc adversus urbem gentemque Caesar Titus, quando
impetum & subita belli locus abnueret, aggeribus vineisque certare statuit. Di-
viduntur legionibus munia, & quies præliorum fuit, donec cuncta expugnan-
dis urbibus reperta apud veteres, aut novis ingeniis struerentur. Hactenus
 ille: sed quis tandem obsidionis exitus? nihil hac de re Tacitus, ut
 non injuriâ peris e reliqua arbitremur, & cum laudatissimô Bœcle-
 ro fragmenta hæc esse credamus. (aaa) Reliqua qui legere velit,
 adeat Cassium, quem diximus, & ita tandem concludere narratio-
 nem videmus: *Sic Hierosolyma die Saturni, quem diem præcipuè Judæi nu-*
 bè etiam

(uu) *Sid. laud. Amicus in not. ad l. c. Eutrop. pag. 181.* (xx) *cap. XLIIIX.* (yy) *Sid. illius Hist. Rom. l. LXVI. c. 10.* (zz) *l. 5. c. 3.*
 (aaa) *l. c. p. 163.*

be etiam adhuc colunt, excisa fuere. Plura addere, chartæ prohibet spa-
 tium, quod cum angustius sit quàm pro re, abrumpere cogimur,
 quæ restant, alii reservaturi occasione. Itaque ad eos nunc tandem
 nos convertimus, in quorum gratiam hæc qualiacunqve præfati
 sumus. Nimirum disceptationunculam instituent quatuor optimi
 Adolescentes *de imperio muliebri in Republicâ*, ita ut I. quæstionem pro-
 ponat ejusque statum evolvat JOH. SALOMO Vosner / SAAL-
 BURGO - VARISCUS. II. Gynæocratiam improbet GOTT-
 FRIED ARNOLDI, ANNÆBERGA - MISNICUS. III.
 eandem confirmet JOH. DAVID Pdrner / ITIDEM ANNÆ-
 MONTANUS, IV. tandem controversiam decidat JOH. JACO-
 BUS SACCUS, ASCHA - VARISCUS. In arenam descendant
 cras, DEO clementer indulgente, in Auditorio novo, post sacra
 pomeridiana. Ut igitur cum PLURIMUM VENERANDI
 DNN. INSPECTORES, tum & VIRI ALII ERUDITISSIMI,
 VARIOQUE DIGNITATUM GENERE SPECTATISSIMI
 suam nobis benevolentiam ad paucillum tempus impertiri, ac testa-
 ri adeò haud gravatim velint, quantum faveant Musis nostris;
 enixè rogitamus. Et pollicemur sanè, non fore nos pro tam in-
 signi adversus studia nostra amore ingratos. P. P. Geræ
 d. XXV, Augusti, A. O. R. ∞ Ibc LXXXIV.





vel, ut Pach
 ἐμψύχοις, &
 ra clamant:
 dem, quaso
 ne insignes
 men. Viv
 Imperii Ro
 Vivit in me
 cus, inter dua
 mio eversa.
 si post duo i
 Scipione de
 nibus Poëta
 vis rudus in
 quisse com
 rum inventio
 religio, jura,
 quam vicus

(a) *Sid. Gi*
 2, 27-
 (f) *id.*
 vat. &



niversum urbe,
 n & de vicis & pa
 quod Stratonicum
 alere nimirum de
 onides aliquando

ιδεῶν, (b)

ειμαρμένον ὡς πρὸς
 pidorum cadave
 batum est jam pri
 dium magnitudi
 olanè perierint ta
 mula quondam
 miserè finita. (d)
 im caput, Gracia de
 posita, etsi à Mum
 ondam ocellus, et
 propè tempore à
 retustior & carmi
 dam caput, quam
 a sui vestigia reli
 illa omnium doctrina
 humanitas, doctrina,
 putantur; quam
 tetra impietate &
 pro-

(c) *Hist. Byzant.*
 15. (e) *id.* II, 16.
 494. (h) l. 1. de oe

